

P dictus magister incipit prologus in gesta hungarorum.
ac quondam bone memorie gloriosissimi bele regis
hungarie notarius. N. suo dilectissimo amico uiro
uenerabili. et arte litteralis scientie imbuto. salutem
et sue peticionis affectum. Dum olim in scolari studio
simul essemus. et in hystoria troiana quam ego cum summo amore
complexus ex libris darethis frigii ceterorumque auctorum sicut a ma
gistris meis audiueram. in unum uolumen proprio stilo compilaueram.
pari uoluntate legeremus. petisti a me ut sicut hystoriam tro
ianam bellaque grecorum scripseram. ita et genealogiam regum
hungarie et nobilium suorum. qualiter septem principales persone
que hetumoger uocantur de terra scithica descenderunt. uel
qualis sit terra scithica. et qualiter sit generatus dux almus.
aut quare uocatur almus primus dux hungarie a quo reges hunga
rorum originem duxerunt. uel quot regna et reges sibi subiugaue
runt. aut quare populus de terra scithica egressus. per ydioma alie
nigenarum hungarii et in sua lingua propria mogerii uocantur tibi scri
berem. Promisi enim me facturum. sed aliis negotiis impeditus tu
e peticionis et mee promissionis iam pene eram oblitus. nunc uero per litteras
tua dilectio debitum reddere monuisset. Memor igitur tue di
lectionis quamuis multis et diuersis huius laboriosi seculi impe
ditus sim negotiis. facere tamen aggressus sum que facere iu
sisti. et secundum tradiciones diuersorum hystoriographorum diui
ne gratie fultus auxilio optimum estimans ut ne posteris in
ultimam generationem obliuioni tradatur. Optimum igitur duxi ut
uere et simpliciter tibi scriberem. ut legentes possint agnoscere
quomodo res geste essent. Et si tam nobilissima gens hungarie
primordia sue generationis. et fortia queque facta sua. ex falsis fa
bulis rusticorum uel a garrulo cantu ioculatorum quasi sompnian
do audiret. ualde indecorum et satis indecens esset. Ergo potius
amodo de certa scripturarum explanatione. et aperta hystoriarum
interpretatione rei ueritatem nobiliter percipiat. Felix igitur hun
garia. cui sunt dona data uaria. Omnibus enim horis gaudeat
de munere sui litteratoris. Ecce exordium genealogie re-

La articolul „Anonymus".